

nonnunquam excurro, et quidquid cibi superest in pauperes distribuo ut illi orent pro me cum ego dormio, » in vitis patrum, p. II.

Tertio, quotidie tantum temporis dandum orationi, quantum sufficit ad servandum cor quietum, corroboratum et munitum ad omnia, quæ illi incumbunt, facienda et sufferenda: adeo ut sicut Hebræi colligebant tantum manna quotidie quantum illis eo die sufficiebat; sic etiam quisquis studeat tantam quotidie fundere orationem quanta ei sufficit ad vitæ christianæ conservationem. Si de clero sis, persolve diligenter quotidie pensum septem horarum. Si laicus et in regimine, vel periculoso statu constitutus, tanto plus ora, quanto magis tibi incumbit onus et ratio reddenda coram Deo. Dives es? Ora ut ne opes laqueus tibi fiant perditionis. Pauper et afflictus? Tanto magis habes quod ores.

V. Quid in ratione petendum? Respondetur, talia bona, quibus male uti non possumus. Unde primo, non petendum quidquam flagitiosum aut noxium, si quidem nec ab homine talia licet petere. Unde lex, III. C. de precibus imp. offer. dicit: *Nec damnosa fisco, nec juri contraria postulare oportet.* Qui enim flagitiosum quid peteret, Deum fontem flagitii faceret. Qui noxium aliquid petit, magnam accipit gratiam, si quod petit non obtineat, ut patet Num. XI. ubi dedit Judæis petitas coturnices Deus; sed ad perniciem eorum. *Adhuc enim carnes erant in dentibus eorum, et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.*

Secundo, malum aliis sicut nec imprecari, ita nec a Deo postulare licet; sed ad summum ut temporalibus quibusdam pœnis exerceantur impii et seelerati ut sic respiscant. Ita S. Anastasia pro impio viro suo Publio fundi preces optavit a S. Chrysogono, ut scilicet aut ad fidem veniret, aut si Deus sciret non venturum moreretur: siquidem melius ei foret exhalare spiritum, quam Dei Filium denegare et eum confitentes impedire. Ut refert Suidas.

Tertio, temporalia et transitoria non nisi quantum conducunt aut necessaria sunt ad bona spiritualia et æterna, suntque instrumenta virtutum et adminiculum ad beatitudinem; quo modo panis quotidianus siquidem nisi vivamus, bene vivere et Deo servire non possumus. Unde ea sola petitio orationi Dominicæ admixta est, cæteræ omnes de bonis spiritualibus sunt. «Magnificentissimus est enim rex noster, inquit S. Basilius, in constit. c. 1. et indignatur si quis parvum quid ab eo petat et nihil ad ipsum attinens. Ne igitur in oratione tua indignationem tibi ipsi adducas, pete tibi digna rege Deo.» Sic ille. Injuriam faceret principi, qui peteret ab eo frustum panis vel haustum cerevisiæ,

quanto magis Deo? Quia vero nescimus quæ temporalia ad Dei gloriam et salutem nostram faciant, ideo si qua petuntur, cum resignatione et indeterminatione petenda sunt, sicut cum a medico petit æger medicinam: non enim ait: Da mihi hanc vel illam, sed medere. Sic Deipara deficiente vino in nuptiis, penuriam tantum insinuavit Filio: *Vinum non habent*: sic Martha et Magdalena de morbo fratris Christo nuntiant: *Ecce quem amas infirmatur.* Inde volebat S. Petrus, filiam Petronillam curare ab infirmitate, quod ei hanc sanitate utiliore diceret, ut in ejus vita, 31. maii. Qui initium tantum viarum videt, non potest dijudicare, quæ via sit melior; sed qui totas vias, initium, medium et finem aspicit. Fieri enim potest ut ea quæ nobis videtur melior obsessa sit a latronibus aliisve affecta incommodis. Deus hoc videt, non videmus nos. Ideo Lacedæmonii (mirum in gentilibus) solum orabant a diis sibi dari optima.

VI. Quomodo petendum? Respondemus conditiones orationis alibi relatæ esse. Quibus hæc addenda. Primo, melius est conjunctim orare quam singulariter. Primo, quia Deo placet nostra concordia: *Nam si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui est in cælis; ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* ait Dominus, Matth. XVIII. Refert Osor. (t. IV. conc. conc. suppl. publ. salutis regis) ex orientali India scriptum esse a patribus societatis, in quodam oppido relictum ab uno patre hominem fuisse ad reliquorum fidelium doctrinam et consolationem; donec ipse rediret. Is cum in gravem infirmitatem incidisset, convenerunt in ejus domum fideles, dolentes de ejus periculo, quod valde eis utilis esset. Inter hæc unus ex ipsis dicebat: «Inter alia quæ nobis prædicata sunt, unum est, ut cum aliqua re indigerimus, eam a Deo postulemus, qui nobis illam præstabit. Eamus igitur in ecclesiam et hujus vitam a Deo postulemus, quæ nobis necessaria est.» Hoc audito omnes ad Ecclesiam convenerunt, et fusa ad Deum oratione, infirmus in integram restitutus est sanitatem, ut in ecclesiam veniret et orantes offenderet, cum quibus et ipse oravit, gratias agens pro valetudine recuperata. Secundo, quia multi simul orantes eundem omnium Patrem efficacius flectunt ad misericordiam. Eam ob causam misit Jacob decem filios suos simul Ægyptum (solo retento minimo) ad frumenta coemenda, ut Ægypti ducem magis moverent ad commiserationem, si dicerent se omnes unius patris esse filios. Sed non contentus Joseph jussit adesse omnes, Gen. XLII. Et hinc in plurali numero jussit nos orare Dominus: *Pater noster, etc.* Ter-

tio, quia cum multi simul orant, unus supplet alterius defectum. Nam cum certæ conditiones requirantur ad impetrandum quod uni deest, aderit alteri, et multum est si vel unus e multis sit qui bene precetur: possunt enim cæteri quoque illius oratione frui. Inter decem illos leprosos unus tantum bonus fuit, quia tamen omnes simul precat: sunt: *Jesus præceptor, miserere nostri,* omnes exauditi sunt. Sicut ergo nummus unus non habens justum pondus, si detur creditori, ab eo rejicitur, sin vero multis aliis miscetur, acceptatur transitque cum cæteris; ita et oratio solitarii si sit tepida, vaga, negligens, rejicitur a Deo: si vero multis aliis ferventibus jungatur, earum vi et quasi alis attollitur et in cælum evolat.

Secundo: *Ante orationem præpara animam, et noli esse quasi qui tentat Deum,* inquit Ecclesiasticus, c. XVIII. Ut enim cithara prius temperari et fides concordari debent, antequam incipias ludere; ita animus ad orationem prius præparandus, alioquin tentas Deum, quasi consequi velis fructum orationis per miraculum, non adhibitis mediis necessariis. Sic tentaret principis clementiam, qui accederet ad illum non petita licentia, sine cultu, sine reverentia, sine præmeditatione eorum, quæ loqui vellet. Considera ergo prius magnitudinem et sublimitatem majestatis divinæ, deinde tuam humilitatem, et si peccati conscius tibi es, de eo dole ex animo.

Tertio, non facile interrumpenda oratio profanis aut impertinentibus colloquiis vel negotiis, in gratiam hominum, etc. Si enim id irreverentia foret agere coram principe, quanto magis coram Deo? S. Ludgerus episcopus Monasteriensis evocatus ad Carolum M. imp. per cubicularium dum insisteret orationi, venturum se dixit absolutis precibus: secundo etiam et tertio vocatus omnino ire distulit, donec preces absolvisset. Postea ad imperatorem veniens et de cunctatione rogatus, intrepide respondit: *Ego, imperator, tuum semper præceptum ita in omnibus exequendum putavi, ut tamen Deum tibi ubique præferendum non dubitarem.* Gratias habuit imperator, et ob id episcopum sibi tanto chariorem. Refertur apud Baron. an. 809.

VII. Ubi? Respondit apost. 1. Tim. II. *Volo viros orare in omni loco.* Quia videlicet Deus invenitur et paratus est ubique nos exaudire. «Si hominem rogare volueris, inquit Chrys. hom. de Chananea, interrogas: Quid facit? Et audies: Dormit, aut non vacat, aut certe non dignabitur respondere minister tibi; ad Deum autem nihil horum opus est. Sed ubicumque fueris aut invocaveris, audit te. Dicit: Miserere mei, et Deus illi aderit, adhuc loquente te dicet: Adsum.» Sic ille.

Cum periculum est vanæ gloriæ: tunc: *Intra in cubiculum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito,* ait Dominus, Matth. VI.

Optimum autem orare in templo: uti sæpe indicat Scriptura, Psal. V. *Adorabo ad templum sanctum tuum:* Luc. XVIII. *Duo homines ascende-bant in templum ut orarent:* Act. III. *Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* Ratio; quia ibi specialis Dei benevolentia ad audiendas preces, ibi plura incitamenta ad devotionem, ibi denique precantium unitas et multitudo. Unde Tert. in ap. c. XXXIX. ait: «Coimus in cœtum et congregationem, ut Deum quasi manu facta, preceationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est.» Et S. Chrys. ho. III. de incomprehensibili Dei natura: «Ante hos annos, inquit, capti nonnulli sunt tyrannidem appetentes, cujus rei vos etiam meminisse arbitror. Fuit inter eos quidam dignitate ac principatu præditus, qui cum damnatus capite ad supplicium duceretur, populus motus misericordia universus præforem adiit et deprecandi communi opera efficere potuit, ut reus ille venia nulla dignus liberaretur ab ira imperatoris. Quod si cum iram terreni imp. velitis extinguere universi cum liberis et uxoribus festinatis; cur quoties ad cœlestem illum imperatorem placandum reddendumque propitium ire pergitis, ut ejus iræ eximatis, non unum, ut tunc, nec duos aut tres aut centum, sed omnes orbis terrarum peccatores, omnes a dæmone agitados ut flagello liberetis diaboli, foris sedetis, non universi concurritis et ecclesiam penetratis?» Hæc Chrys. Ergo, auditores, quando his rogationum diebus sæpius in unum conventuri sumus ad rogandum Deum pro communibus nostris necessitatibus, date imprimis operam, ut quicumque potestis, in cœtu hoc compareatis; deinde ut ea qua decet, devotione et pietate supplicationibus intersitis, quo et ipsi iratum placare Deum, nec non flagellum e manibus ejus eripere possitis Amen.

CONCIO VI.

PRO QUIBUS POTISSIMUM SIT ORANDUM.

I. Pro se quisque. — II. Pro aliis. — III. Pro regibus et principibus. — IV. Pro extirpatione veneficorum. — V. Pro conversione hæreticorum. — VI. Pro responsione vel conversione Turcarum. — VII. Pro defunctis.

THEMA,

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joann. XVI.

Discessurus a filiis pater in longinquam regionem, quo mœstos et desolatos consoletur re-

linquit eis clavem ad cistam pecuniariam, ad cellam vinariam, ad penum aliaque quæ ad victum eis necessaria sunt. Idem nobis fecisse Christum, amantissimum nostrum Patrem, ex hodierno evangelio discimus; discessurus enim a nobis in cælum, reliquit nobis auream illam orationis clavem, qua omnes aperire penus, indeque ea depromere, quæ necessaria nobis sunt, non difficile possemus; neque vero nobis solum, sed et fratribus nostris, quidquid illis desideraverimus. Verum ut hac clave recte et prudenter utamur, sciendum nobis est, quibus potissimum aperire, quibus impertire beneficium orationis debeamus, quod hic discemus.

I. Orare debet unusquisque primo, pro seipso, nec confidere in solis aliorum et sanctorum precibus. Ita Chananæa tum demum audita fuit, cum præcedentibus discipulorum Christi precibus etiam ipsa accessit ad precandum. Audi Chrysostomum, hom. de profectu evangelii: « Vis discere, inquit, quod etiam per nosmetipsos orantes apud Deum plus efficiamus, quam dum alii pro nobis orant? Clamavit hæc (Chananæa) et ut accesserunt discipuli dicunt: Dimitte eam, quia clamat post nos. Et ad illos quidem dixit: Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. Quando autem ipsamet accessit et perseveravit clamans et dicens: Domine etiam, nam et catuli edunt de mensa dominorum suorum. Tunc beneficium dedit et ait: Fiat tibi sicut vis. Vides quoniam repulit, cum alii precarentur, ubi vero ipsamet pro dono clamavit, annuit? » Sic ille. Senior quidam in vitis patrum, p. II. c. 1. § XII. rogatus a monacho ut pro ipso preces funderet, cum facta pro eo oratione, vidisset in visione monachum illum et diabolum colludentes, angelum vero custodem dehortantem eum, quem ille negligebat, reversus ad eum dixit: *Quia res per te stat, impossibile est ut alienæ preces te juvent, nisi ipse jejuniis, vigiliis, et orationibus insistas.*

Unde S. Augustinus, in hom. super hodiernum evangelium, tract. CII. in Joan. ait: « Exaudiuntur quippe omnes sancti pro seipsis: non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis vel inimicis suis vel quibuslibet aliis; quia non utcumque dictum est, dabit, sed dabit vobis. »

II. Deinde, orandum etiam pro aliis, ideirco enim in oratione Dominica oramus: *Pater noster, panem nostrum da nobis, et dimitte nobis, etc.* ut advertit S. Cyprianus, lib. de orat. Dom. et Chrysost. hom. XIV. in Matth. ait: *Pro se orare necessitas cogit; pro altero autem charitatis fraternitas hortatur.*

Primo, pro summo pontifice; uti facit imprimis Ecclesia, quæ in canone semper et in collectis crebro orat pro eo: idque dedit a primitiva

Ecclesia, quæ dum Petrus teneretur Jerosolymis in carcere, orabat pro eo. Ita enim Act. XII. legimus: *Et Petrus quidem servabatur in carcere: oratio autem fiebat sine intermissione a Ecclesia ad Deum pro eo.* Nec ea frustranea fuit; cum enim Petrus altera die producendus esset ad mortem, nocte præcedente liberatus est e carcere per angelum. Jure sit hæc oratio. Primo, ratione ipsiusmet pontificis qui in statu periculosissimo versatur. Pius V. dicebat se in pontificatu de salute pene desperare: ipse enim quasi Atlas Ecclesiæ, totum ejus pondus humeris suis sustinet. Cum S. Clemens p. ad mare pergeret mergendus, populus ad littus stans pro eo orabat dicens: *Domine Jesu Christe, salva illum.* Pontifex cum Petro supra mare quodammodo incedit. Unde jure pro eo oramus: *Domine, salva illum.*

Secundo, ratione nostri seu fidelium omnium, quorum directio et ex parte salus pendet a pontifice. Ipse noster navarchus est, ipse auriga, ipse dux; hinc sicut Hebræorum populus duci suo precabatur: *Sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moysse*, Jos. 1. ita nos precari decet nostro papæ.

Secundo, pro omni statu clericali. Primo, quia: *Mensis multa, operarii autem pauci*, ait Christus, *rogate ergo dominum messis, ut operarios mittat in messem suam*, Luc. X. Non intelligimus modo, quam necessarij sint sacerdotes et concionatores quia nobis semper adsunt. Si abessent aliquamdiu, tunc intelligeremus; fieremus enim velut Arabes et Scythæ. Nulla dirior fames, quam fames verbi Dei, ut habemus, Amos VIII.

Secundo, quia in iis plurimum positum, ut faciant officium suum. Tam victima pro peccato pontificis, quam victima pro peccato totius populi cremanda erat extra castra, Lev. IV. cum tamen aliæ victimæ pro peccatis privatorum immolarentur intra castra, quia scilicet pontificis peccatum æque contaminabat tota castra, atque peccatum universi populi. Angeli esse deberent, et tamen quam difficile est tot angelos in carne reperire? Ipsi sunt stomachus, quia concoquunt cibum et dividunt toti corpori, ut explicat auctor imperfecti, hom. VIII. in Matth. Stomacho male affecto omnia membra tabescunt. « Quemadmodum medicus inquit, quando primo ingreditur ad infirmum, statim de stomacho ejus interrogat, et eum componere primum festinat: quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est, si autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est: ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret, si autem corruptum fuerit, omnium fides marcescit. » Ideoque Christum ait post ingressum in Jerusalem, reformationem inchoasse a templo, in die palmarum.

III. Pro regibus et principibus. Primo, ut eos nobis det bonos, neque dicat nobis, quod Hebræis, Os. XIII. *Dabo tibi regem in furore meo.* Anastasius Nicenus, q. XV. in script. duo illustra refert exempla. Primum, cum Phocas imp. quasi tyrannus sæviret in innocentes, monachus quidam sæpe cum Deo expostulabat: *Cur Domine cum fecisti imperatorem? Cui responsum est cœlitus: Quoniam non inveni pejorem.* Secundum, monachus quidam hypocrita sed scelestus, angeli monitu præcipitur eligi in episcopum Thebaidis sceleratæ civitatis. Cum vero ille mox insolescere inciperet, audivit ab angelo: *Cur superbis, o infelix? Non es creatus episcopus quod dignus sacerdotio sis, sed quod civitas tali digna erat episcopo.* Pene totius populi salus a bono rege pendet, quia regis ad exemplum totus componitur orbis, cum eo mutat religionem, fidem, pietatem. Hinc apostolus, 1. Tim. II. ait: *Obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, etc. pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate.*

Viderunt idipsum gentiles. Euripidis est hæc vox: « Gubernari oportet malos a bonis, et parere se melioribus: si vero impios in civitate promoveris, sursum atque deorsum vita nostra inopinato tota pervertetur. » Platonis ista: « Sutores, si pravi et perditii sint, quamquam dissimulent, nihil inde periculi civitati imminet: custodes vero legum et civitatis, si non revera boni sint, sed videantur tantum, urbem totam funditus perdunt. »

Secundo, ut Deus prosperet eorum imperium, et adjuvet conatus contra hostes Ecclesiæ catholice et imperii Romani. Accommodate nostro tempore scribit S. Gregorius, lib. IX. ep. XL. « Pro vita piissimi et christianissimi imperatoris domini nostri et tranquillissimi ejus conjuge, et mansuetissima sobole semper orandum, quorum temporibus ora hæreticorum conticescunt: quia etsi eorum corda in insania perversi sensus ebulliunt, orthodoxi tamen imperatoris tempore, prava quæ sentiunt, eloqui non præsumunt. » Dum Judith se paravit ad necandum Holofernem, qui Bethuliam premebat obsidione, dicebat ad cives suos: *Vos autem nolo, ut scrutemini actum meum, et usque dum renuntiem vobis, nihil aliud pro me fiat, nisi oratio ad Dominum Deum nostrum*, Judith. VIII. Qua egrediente ad Holofernem, presbyteri civitatis pro ea precati sunt Dominum, et daret ei gratiam ad perficiendum suum consilium, cæterique omnes responderunt: *Fiat, fiat*, Judith X.

IV. Pro extirpatione veneficorum et veneficorum. Primo, quia gravissimum scelus est, et scalarum colluvies. Deus ergo per hoc gravis-

sime semper offenditur, et ad clades toti reipublicæ inferendas provocatur maxime; ut his infelicissimis temporibus experimur, quibus hujus sectæ flagitia, bonorum hominum precibus et pietati præponderant, plusque illa possunt ad irritandum, quam hæc ad Deum placandum. Satius multo foret vivere inter gentiles, quam inter hujusmodi homines, qui ad nocendum ex professo conveniunt, et impelluntur a dæmone.

Secundo, quia magnus talium numerus est, et semper in dies augetur, dum alter alterum seducere laborat, ut vix per viam justitiæ extirpari hoc vitium possit. Ita Josaphat rex cum tam ingens multitudo hostium insurgeret contra eum, ut resistere eis diffideret, instituit preces publicas. Inter quas concione habita ait inter alia: « Deus noster, ergo non judicabis eos? In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut posimus huic multitudini resistere, quæ irrui super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. » Cui mox respondit Dominus per leviten, ne timeret, suam esse hanc pugnam, non ipsius regis. Cum ergo cœpissent levitæ laudes canere, vertit Dominus insidias hostium in semetipsos, ut mutuis se conciderent vulneribus, II. Par. XX.

V. Pro conversione hæreticorum. Primo, quia grave malum hæresis, jamque diu satis detinuit in tenebris miseros. Sicut ergo oravit Elisæus Deum, ut aperiret oculos Syrorum, qui venerant eum capere, et quia cæcitate percussi, reducti erant ad terram hostilem, IV. Reg. VI. Sic nos rogemus. Deum ut aperiat hæreticorum oculos, quo nimirum videant se a Luthero et Calvino seductos et abductos esse in terram hostilem, id est, in hæresin et statum damnationis. Sed placet audire ex probato auctore (P. Chavass. l. V. de notis fid. c. IV.) calamitates in Germaniam a tempore Lutheri per ejus hæresin invec-tas. « Sunt profecto quam plurimæ omnisque generis. Nunquam in pueris et adolescentibus tantum astutiæ, fraudi, pertinaciæ, inobedienciæ, petulantia, et procacitatis, nec in militibus tantum licentiæ ac perfidiæ, nec in Palatinis tantum vanitatis, dissolutionis, invidentiæ, proditiõnis, mutua simulationis, cupediarum, inanissimorum sumptuum, nec in conjugatis tanta nuptiarum immaturitas, tot infidelitates e divortia, nec inter cives tantum simultatis, nec in confederatis et contrahentibus tantum malæ fidei. »

« Excrevit ad summum usurarum iniquitas, ut non paucos videre sit, o portentum! qui singulis diebus mutui augent interesse sive auctarium secundum proportionem geometricam.

Sæpe affines et consanguinei sibi invicem extranei sunt et barbari. In peccatoribus nunquam indolentia major; currunt præcipites in vitium: sicut equus impetu vadens ad prælium, frons meretricia facta est illis, nescierunt erubescere, gloriantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis, vix est qui serio agat penitentiam super scelere suo; perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus. Nulla olim tanta rerum caritas, nihil jam circumfertur vilis pretii, ad intolerabile provexit quidlibet auri sacra fames, ut quæ olim obolis, nunc regalibus comparentur. Postularet ratio, ut ejusmodi pretium, incrementa et decrementa caperet, prout annona carior esset aut vilior, et ecce in eodem consistit gradu, quantumvis terræ bona multiplicentur, et benefica natura frugibus agros oneret. Quidquid extorquere venditor ab emptoribus potest, justum putat. Luxus nunquam major, in victu, vestitu, satellitio, et dotibus, in suppellectili domestica, in conviviis, choreis, alea et ejusmodi vanitatibus urbanos ac cives æmulantur agricolæ. Cives sericis sese amiciunt perinde ac nobiles, e quibus qui minoris sunt notæ videri comites volunt, hi marehiones, qualibus parum est in suo gradu excellere, nisi etiam fulgeant more principum: stipantur principes ut reges, et forte regibus orbis unius terrarum non sufficit sicut nec Alexandro. Politicæ res nunquam minus bene constitutæ, sortiuntur officia publica non meliores aut peritiores, sed nequiores magisque imperiti, si modo opulentiores, qui scilicet plures possint aureos soles ut Romulus aves ostendere. Tributa tam multa penduntur, ut locum nominare possim, in quo et matres parvulos suos occiderunt, quod se omni re domestica a feris exactoribus spoliatas alere illos posse diffident. Merces, panni, opificia fere omnia fucata, caduca, infirma, adulterina. Typis mandat quidquid lubet, libelli etiam famosi, obsceni, hæretici, superstitiosi, vix ullus librorum censor, quem ubique oporteret esse accuratissimum. Etiam ad ipsa humana corpora extendit sese temporum nostrorum infelicitas. Nunquam homines utpote pusilli, infirmi, delicati, valetudinarii, ut quocumque te vertas miseriarum videre sit cumulos inductos a pseudoevangelicis, ut vel invitæ agnoscas, quia istud est semen cui maledixit Dominus; ait enim Matth. VII. A fructibus eorum cognoscetis eos. Sed ais: Nonne factum est occasione sectarum (quod suo etiam tempore factum notat Aug. lib. in Gen. contra Man.) ut oscitabundi catholici torporem excuterent et quam profitebantur veritatem acrius propugnarent? Factum sane ita ut, quod notat Alph. a Castrol. l. c. IV. plures viros doctos

nunc Ecclesia possideat, quam habuerit superioribus aliquot sæculis. Resp. id non sectis, sed divinæ providentiæ tribuendum elicienti ex malis bona.»

Secundo, quia jam in motu et progressu est eorum conversio, Jam trahi cœpit curvus, oratione addita impellendus est. Cum repararentur muri Jerosolymæ destructi, II. Esdr. IV. nemo erat, qui non adhiberet operam suam, alii ædificabant, alii portabant onera, alii excubias in armis agebant contra imminentes hostes. Idem nos faciamus in reparatione Ecclesiæ ab hæreticis laceratæ. Dum enim alii pugnant et hæreticos expugnant, dum alii eos erudiant et ædificant, nos interim excubemus in orationibus.

VI. Pro repressione vel conversione Turcarum. Primo, quia secta pestifera est et crudelis. Non enim solum tributa a Christianis exigit, verum etiam eorum liberos decimat, et ad sectam suam traducit, captivos dire torquet. Terram sanctam, Christi incunabula et sepulcrum velut iniqui possessores detinent, et inique habent. « Sed quo planius adhuc (verba sunt Balt. Chav. l. V. de notis fid. c. IV.) magisque in specie noverimus sectam illam exitialem revera esse, factamque ad reliqui orbis desolationem, convenit nos præcipue obtutum dirigere ad Christianos illos, qui in Turc. imp. mortem potius quam vitam degunt. Superant sane illorum miseriæ omnem dicendi scribendique vim et facultatem. Quam mihi Tullianum hoc loco expeterem, ut stertentibus Europæis sensum aliquem tantæ calamitatis darem, ne forte et ipsi veniant in eundem locum tormentorum! » Ejusmodi Christiani aut tributarii sunt, qui nempe vitam ibi a parentibus liberis acceperunt, aut servi, nempe vel a victoribus in bello capti, vel a Turcicis latrunculis intercepti, qui turmatim quotannis ad finitimas ditiones prædatum exeunt. Si tributarii, ab iis quovis anno exigitur quarta pars fructuum tam ex agris et pecoribus, quam ex quæstu proveniens. Singuli præterea quotquot in familia una numerantur, singulos ducatos pendunt. Quod si parentes solvendo non sint, coguntur liberorum aliquem pretio distrahere. Huic tributo admodum certe oneroso conjunctum est alterum omnium gravissimum. Nam quarto quoque anno, vel ut scribit Cusp. tertio, expeditæ aliquot turmae equitum peditumque pervadunt imperium, et ex eorumdem Christianorum filiis quartum quemquem eligunt, et abducunt, qui nimirum robustior, venustior, aut aliis naturæ dotibus instructor appareat, abductumque paulo post circumcidunt, et vel militiæ suo adscribunt tempore si aptus videatur, vel in mechanicis

occupant. Si a quoquam parente celetur filius, vel aufugiat, dirissimis tormentis exercetur patrens donec illum sistat. Vix autem celari potest quia pagi prætor Musulmanus semper est, eique incumbit sub gravi pœna observare, quocumque christiani filii nascantur et filia, et tamquam aliud agentis indolem explorare singulorum. Nemo verbis explicare potest, inquit Septemcastrensium, quibus lacrymis, quo singultu ac gemitu hanc pignorum suorum abstractionem miseri parentes prosequantur. Pater filium, quem in Christi cultu educaverat, ad militiam Satanae rapi videt, ut Christum oppugnet. Sed nihil prosunt ejulatus. Si sunt servi venduntur numerata pecunia mercatoribus et lanistis, qui magno numero subsequuntur exercitum, atque ab eis vincuntur catenis ferreis tam productis, ut nunc duodecim, nunc viginti, aliquando etiam triginta vel sexaginta vincendis sufficiant. Mox manibus quoque injiciuntur manica, atque ita uno passu alios ab illis dirimente abiguntur et procedunt. Ingruente nocte sua pedibus accedunt vincula. Supini omnes, inquit Lonicerus, aerisque injuriis expositi jacere coguntur. Sed longe graviores injuriæ quas a nefandis abactoribus istis accipiunt. Auditur enim per totam noctem ejulatus tristissimis utriusque sexus adolescentium infandæ vim Veneris patientium tanto furore exerceri solitam, ut nec sexennis ætas miseros a tali vexatione et calamitate defendat. Parvuli autem et adhuc pueri portantur in saccis, ut scribit idem Septemcastrensium, cap. VI. Vix ad constitutas civitates perveniunt, cujusmodi maxime sunt Constantinopolis, Aepus, Alexandria, etc. cum ad forum publicum talibus destinatum mercibus iisdem catenis colligati, et tædio, laboribus atque inedia consumpti brutorum more venalium deducuntur, nudantur, attractantur etiam in partibus quas videri pudor vetat, probantur, circumaguntur, ad cursum incitantur, et rationales creature insignitæ Christi character, ejus denique inæstimabili redemptæ sanguine modico pretio venundantur, inspicientibus patre et matre filii, viris uxores, uxoribus viri, nutricibus parvuli. De se uno testatur Barth. Georgevitz, in præfatione, quod ut jumentum aliquod oppidatum, vicatim et plateatim venum ductus sit, adeo ut ad gravissimam variaque rustica negotia septies sit venditus. Si qui inobedientes (verba pono Cuspianiani,) aut verecundi pudenda tractari recusaverint, colaphizantur, et flagellis cœduntur, hic filius venditur matre vidente, hic mater abducitur in confusionem filii, hic marito erubescens uxor ut scortum illudatur, alterique viro traditur, hic uxor maritum videt aratro alligari, hic parvuli e sinu

matris rapiuntur. Ibidem nec dignitatis, nec sexus, nec ætatis minima habetur ratio, miles, paganus, sacerdos, plebeius, nobilis, ignobilis, doctus et indoctus, pius et impius vel pari taxantur pecunia, vel ille majori quem melius ad labores natura finxerit. Cæteri quantumvis nobiles, aut ingenio pollentes, reputantur telluris onera, nihil fiunt, perpetuo ludibrio sunt, ministeria omnium sordidissima vilissimaque obeunt, pannosi quovis tempore incedunt, vix siliquas habent quas fami opponant. Ibi crebro vir nobilis et delicata matrona, quibus olim servi magno cum apparatu obsequabantur, vili pretio servilem conditionem subeunt, spe omni abjecta solatii et libertatis. Si minus quis laboraverit, quam præscriptum est, tunditur ut asinus, eique inter verbera passio cruxque Christi impropertur, omnibus injuriis aeris interdiu exponitur, æstui, frigori, grandini, pluviae, ventis ac nivibus, et nunc quidem bajulum agit, terram arat, molendina torquet, nunc bestias curat ea semper lege, ut sub noctem certum pensum referat, de residuo quod sæpe nullum est vivat. Eundem dominum suum si quando verbo factove offendant, nervis cæditur, inquit Joannes Boterus, III. p. rel. l. II. Vel ei oleum infunditur ardens, aut sebum, aut lanidum. Profecta nocte in antrum tenebricosum, et graveolentia pedoreque horridum cum sociis abducitur, ubi in compedes mittuntur bini et bini, resonat infelix carcer lamentos et ejulatus, horrent capilli omnibus, et concrevit sanguis ob mala præsentia. Inde educuntur summo mane luridi, lacerti, fæculenti, et ad labores emittuntur solitos. Alias circumducuntur per nives et saxa, nec prius miseria exitum reperit quam vita. Nemini cujuscumque sit ætatis et conditiones illud obtingit beneficium, ut in itinere si ægrotet, illum herus apud hospitem in diversorio curandum relinquat, sed flagris potius et scuticis ut pergat impellitur. Quod si illum omnino vires deficiunt jumento imponitur, cui si insidere nequeat, alligatur ei in transversum sarcinæ more aut mantica, morientem barbarus detractis vestibus in proximam foveam aut vallem canibus, lupis ac vulturibus escam futuram abjicit. Ex captivis pueris solent elegantiores imperatori servari, quos cum suo præficiat gynæceo perfecte evirat, o immanem crudelitatem! Sic ut nulla in iis restent virorum indicia, teste Barth. Georg. cap. XXIX. Quod ad captivos mulieres, præter omnis generis libidinem cui prostituuntur et patent, spurcissimus plerumque ministeriis addicuntur. Comitantur inter alia heras suas cum aquæ vaseculo, ad secessum euntes, hoc dixisse sufficit. In summa autem, adeo miseranda et acerba est sors om-